

## S. X.

De Janitoria, Rotaria, & Ausculatricum  
obligationibus.

Quar. 1. **O**uales esse debeant: Præfectæ  
rotæ, & januæ.

Resp. Debere esse irreprehensibilis vitæ, discretas, prudentes, & quæ sæcularium oculis bonis moribus sint spectabiles. Ostiaria sit supra 40. annos. Sac. Congreg. in Bononien. 30. Junii 1617. ejusdem quoque ætatis Rotaria, nisi aliter prudentiæ Episcopi visum fuerit. Ita in ed. Et. Visitationis Apostolicæ apud Pignatell. 2. 6. consult. 85. n. 95. Neque Rotaria, neque Portinaria monialem ullam ad crates, aut rotas vocare debent, nisi persona extranea habeat licentiam subscriptam ab Episcopo, vel ejus deputato; & nisi monialis collocatura licentiam pariter obtinuerit ab Abbatisa. Aliter contravenientes sunt ipso facto privata voce activa, & passiva per tres menses. Sub iisdem poenis prohibetur eisdem Rotariæ, & Portinariæ, nemittant, aut recipiant litteras, munera, aut alia, nisi præcedente inspectione Abbatisæ, & eius licentia. Sac. Congreg. 20. Septemb. 1593. apud Pignatell. consult. cit. n. 179.

Quar. 2. An peccent portinaria, & Rotaria januam, & rotam respective non custodientes.

Resp. Si faciant ex inadvertentia, certum est non peccare, immo addit Cespedes de dub. milit. dub. 16. neque si advertere teneatur. Sic nauta, cui navis gubernium commissum est, non peccat, si ex inadvertentia omittat, licet teneatur advertere. Hoc tamen non placet.

et Zumel. Valent. & aliis; quia advertere, & debere advertere, sicut scire, & debere scire, sunt paria. Si vero omisso custodia procedat ex negligentia, ex qua maxime moniales capient occasionem colloquendi cum extraneis, & extra mittendi res prohibitas cum periculo earum spirituali, talem omissionem mortaliter peccaminosam esse non dubito, quia omnibus exercentibus aliquod officium hæc communis obligatio est, ut illud cum debita cautela, & diligentia exercent, ut habetur ex Panor. in c. ad aures, n. 3. de stat. & qual.

Quar. 3. An Rotaria, & Portinaria, si videant ad januam, vel ad rotam delicta aliqua in occulto a monialibus perpetrari, teneantur revelare Abbatisæ.

Resp. Si moniales delinquentes fraterne admoniti a sua nequitia non desistant, tenentur Rotaria, & Portinaria deserre Abbatisæ, ut respiciant, quia bonum illarum spirituale bono famæ debet præponderare. Molin. Dicastil. Banez, & alii. Quod a fortiori procedit, quando delicta illa vergunt in præjudicium communiratis; quia secretum non potest obligare contra justitiam, & charitatem alteri debitam. Rotaria autem, & Portinaria ex justitia, & charitate tenentur damna Religionis præcavere; a qua obligatione non sunt immunes, etiam si promississent cum juramento non revelare; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Ita Doctores citati.

Quar. 4. An peccent Rotaria, & Portinaria videntes, & non impediendes moniales, quæ recipiunt, aut mittunt litteras sine licentia Abbatisæ.

Resp. Peccare, si exter præceptum regu-

la, aut Superioris, vel vigeat Constitutio Clementis VIII. prohibens, ne literæ, seu Epistolæ ullo modo a monialibus scribantur, sine licentia Superiorum, nec recipiantur, nisi prius lectæ fuerint a Præfecta monasterii. Ratio est; quia licet negative per voluntariam omissionem ejus, ad quod tenentur, censentur violationi præcepti, & monialium male cooperari; & proinde delinquant, nisi moniales essent talis conditionis, ut probabiliter judicari posset, Abbatissam daturam facultatem, si peterent, aut saltem ratum potestea habituram, si sciret. Vel nisi ex consuetudine, aut patientia Abbatissæ scientis, & dissimulantis receptum esset, ut non tam severe nec cum tanto onere munus obeant custodiendæ rotæ, vel portæ. *Dicastill. sr. 2. disp. 4. dub. 7. n. 165. & Rebel. lib. 2. q. 16. n. 2.*

*Quar. 5.* An Rotaria, & Portinaria peccent, si occasione muneris, curiosus inquirant ab extraneisea, quorum noticia ad ipsas nihil attinet.

*Resp.* Per se solum venialiter peccare; quia non est magna inordinatio, quod apperant scire, quæ ad se non pertinent. Possunt tamen peccare lethaliter ratione circumstantiarum, nempe si esset illis graviter prohibitum in his vanis, & curiosis ad januam, vel ad rotam cum extraneis detineri: vel si vellent scire, quæ ad alias moniales spectant, cura illarum notabiti displicentia, quia hoc posset rixas parere, & dissensiones. Item si collocutio esset periculosa, utpote inductiva ad peccatum; vel si non posset scire, nisi alterum ad malum inducant, ut si vellent scire arcam alteri commissum, maxime si pa-

ten-

teseri non posset sine alterius præjudicio; vel si appetant scire intentione utendi tali noticia in alterius damnum. Hæc omnia Lessius *de just. & jur. lib. 4. cap. 4. dub. 11. n. 83. & seqq.*

*Quar. 6.* An peccent Rotaria, & Portinaria aperientes literas monialium ad extraneos, vel extraneorum ad moniales.

*Resp.* Cum communi Doctorum affirmative. Quia unusquisque habet jus ad suum secretum scriptis mandatum, ut ipse solum scita; vel cui voluerit per epistolam revelare, unde invito secreti domino illud per literarum aperitionem inquirere est peccatum mortale, nisi interveniat consensus saltem interpretativus mittentis literas, aut illius ad quem mittuntur; vel nisi excuset materiæ parvitas, aut curiositas absque periculo gravis damni, & injuriæ. Sanch. Navar. Azor. Trullenc. & alii; qui pariter excusant aperientem, quando rationabiliter credit, aliquid in proprium damnum in hujusmodi literis contineri. Quia tunc jure suo utitur se indemnem servando; hoc enim pertinet ad jus propriæ defensionis. In his tamen casibus ea solum legere potest, quæ attinent ad finem, ratione cujus indagatio secreti fit licita; reliqua contenta sunt transilienda, & sub secreto servanda.

*Quar. 7.* An Portinaria non impediens ingredientem intra clausuram sub prætextu facultatum peccet, & incidat in excommunicationem.

*Resp.* Affirmative, ex Gregorii XIII. Constitut. quæ incipit *Ubi gratia*. Quia cum ex officio teneatur impedire, & non impediat, indirecte cooperatur, consequenter ingredientem admittere censetur. Bonacina *de*

V 5

claus.

claus. qu. 1. puncti. 6. n. 25. qui pariter sustinet in eandem excommunicationem incidere, quamvis nullo modo cooperaverit ingressui, si tamen personam sic ingressam vel non expellat, cum possit, vel diutius sua locutione detineat; idem enim est, ac si admitteret; nam *admittere* in sua propria, & rigorosa significatione importat etiam approbare jam factum, ut testatur Rebuffus l. 14. §. rem. *admississe videtur ff. de verbor. signifi.* Excommunicatio hæc est Summo Pontifici reservata. Neque ad ipsam incurrendam requiritur præsumptio, cum in præfata Gregorii Constitutione nullum adhibeatur verbum præsumptionem importans; sicut in motu proprio Pauli V. adhibetur. Bonac. loc. cit. n. 18.

Quar. 8. An peccet, & in eadem incidat excommunicationem, admitiendo, vel non impediendo ingredientes non sub prætextu facultatum, sed absolute sine licentia.

Resp. Quod sic; quia Pontifex sub iisdem terminis eandem excommunicationis poenam statuit contra admittentes, ac contra ingredientes, ibi, *Sub eadem excommunicationis poena.* Cum igitur excommunicatio contra ingredientes afficiat non solum ingredientes prætextu facultatum, sed etiam ingredientes sine ulla prorsus licentia, ut ex stylo Curiae, Sac. Congr. decretis, Doctorum auctoritate probavimus supra cap. 7. §. 9. q. 2. eadem excommunicatio afficiet etiam Portinariam non solum admittentem ingredientes prætextu facultatum, sed etiam ingredientes sine licentia. Immo puto eadem excommunicatione ligari admitiendo taliter ingredientes, etiam si existimet ipsos ingredi cum legitima facultate. Quia cum ex officio teneatur inquirere de

licentia

scientia, si omittit, tam est in dolo, quam si scient sine licentia admitteret, Cap. *fn. de clandest. desponsat. l. quod te, §. idem de reb. credit.* & ibi Glos. Bart. Bald. & ceteri Doctores. Nec potest juvari a bona fide; quia, dum omittit inquisitionem, quæ ei incumbit ex officio, subintrat negligentia crassa, & affectata, quæ non excusat, sed habetur pro scientia, Clement. 1. v. *scienter de consanguinit. & affin.* Glos. *ibid.* Anchar. & Tiraq. Unde non potest excusare, nec inducere bonam fidem. Pasqual. in qq. *Moral. jurid. q. 162. n. 8.*

Quar. 9. An peccet Portinaria admittens aliquem intra septa monasterii sine licentia, ad tuendum illum a gravi damno in vita, bonis, aut honore.

Resp. Non peccare; quia sicut ingrediens in dictis casibus non peccat, cum lex positiva de clausura non obliget ad sui observantiam cum tanto rigore; ita neque Portinaria permittens ingredi personam illam peccabit, cum actio cooperantis bona dieatur, aut mala, juxta bonitatem, vel malitiam actionis ejus, cui cooperatur. Duard. in cap. *omnis utriusque sexus tit. 2. disp. 16. sect. 36. n. 5.* & resumitur ex Bordon. ref. 76. n. 89. ubi habet, quod si Religiosus actu a satellitibus Curiae laicalis insecutus se reciperet intra clausuram, eumque portinaria admitteret, ibique per aliquot dies manere, aliud securius refugium non habens, & moniales id ignorarent, excepta dicta Portinaria, quæ illum occultaret, nullum peccatum committeret, tum Religiosus ingrediens, & manens, tum Portinaria recipiens, quamvis alias talis Religiosus esset culpabilis. Ratio est; qui ad laicos non spectat capere, aut corrigere Religiosos,

W 6

sed:

sed ad suos Superiores. Necessè tamen est quod insecutio satellitum sit actualis, & nullum aliud sit effugium.

*Quar. 10.* An Aulcatrices propalantes, quæ occasione sui officii audierunt, peccent mortaliter.

*Resp.* Si id, quod propalant, vergat in grave alterius detrimentum, non est dubium peccare mortaliter, quia tam ex parte materiæ, quam ratione officii ex pacto tacito inest gravis obligatio tacendi. Si vero leve alterius damnum sequatur ex revelatione, dicendæ sunt mortaliter non peccare, parvitate materiæ excusante. Si prævideant; monialem ex revelatione etiam rei ex se indifferentis esse contristandam, peccant contra charitatem. Si de segant audita non ex animo lædendi, revera tamen lædant, peccant mortaliter, vel venialiter juxta negligentiam, vel inconsiderationem; si enim hæc fuit gravis, erit mortale; veniale vero, si levis. *Bastæus v. secretum n. 3.* Tenentur tamen revelare Abbatissæ, si quæ viderint, vel audierint, religiosi moribus dissona, & regularis observantiæ destructiva. *D. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.* Aulcatrices enim sunt oculi Abbatissæ, adeoque ex officio tenentur explorare, & explorata referre; alioquin omittentes officio suo non satisfacerent, essentque causa indirecta scandalorum; quæ ex tali omissione possunt oriri.

*Quar. 11.* An Aulcatrices, quando ratione officii assistunt collucutionibus, possint colloqui cum Regularibus accedentibus ad alloquendum cum moniali aliqua particulari.

*Resp.* Affirmat Pellizarius ex Bonacina, quia præsumitur tacita Superioris licentia ex regula

la connexorum, de quibus idem est judicium; Oppositæ tamen sententiæ adhæreo. Quia principium illud de connexis locum habet, quando connexa sunt inseparabilia, non sic si separabilia, ut communiter scribentes. Moniales autem cum licentia colloquentes, & Aulcatrices non sunt connexæ in ordine ad locutionem, siquidem loqui optime possunt moniales aliæ, Aulcatricibus silentibus.

## §. XI.

*De Conversarum obligationibus, & Privilegiis.*

*Quar. 1.* **O**Uamnam in Conversarum receptione sint observanda.

*Resp.* Tam quoad receptionem, quam quoad professionem ea omnia esse observanda, quæ supra de Novitiis choristis recipiendis, & admittendis sunt dicta; eadem enim praxis in utrisque servanda, ex Sac. Congr. præter quam in constitutione doris; nam moniales velatæ tam intra, quam supra numerum absque dotali elemosyna non debent admitti; in monialibus vero Conversis non semper spectatur dos, sed aliquando necessitas monasterii, ex declaratione ejusdem Sac. Congr. die 20. Martii 1596. qua necessitate cessante, exigendam esse a supra numerariis Conversis dotem duplicatam perfolvi solitam, censet Tambur. *de jure Abbatiss. disp. 5. q. 7. num. 1.* juxta decretum Sac. Congr. die 6. Maji 1604.

*Quar. 2.* An Conversæ sint vere religiosæ.

*Resp.* Quod sic; emittunt enim tria reli-

religionis vota, quæ religiosi status essentiam constituunt. Quare sunt incapaces proprii; & quicquid acquirunt, acquirunt monasterio, ipsisque est prohibitum testari. Gaudent privilegio Canonis, & fori, quia sunt personæ Ecclesiasticæ, & fruuntur omnibus Religionis privilegiis, quorum ratione sui status sunt capaces, quia vere per professionem sunt religioni incorporatæ. *Lezana t. 2. qq. Reg. c. 8. n. 29.*

*Quar. 3. An Conversæ teneantur ad perpetuam clausuram.*

*Resp. Teneri, ex Bonifacio VIII. c. periculo de stat. regul. in 6. Concil. Trid. sess. 25. de reg. c. 5. & ex Constit. S. Pii V. quæ incipit Cura pastoralis. Ita quod neque possunt egredi ad ornandum Altare in Ecclesia exteriori. Sac. Congr. 29. Octob. 1592. Neque ad effectum claudendi, vel aperiendi januam monasterii, sed hoc munus alteri extra clausuram degenti est demandandum. Eadem Sac. Congr. apud Barb. de jur. Eccl. lib. 1, cap. 44. num. 44. Si tamen alicubi vigear consuetudo prædictas Conversas egredi pro quæstu, poterit tolerari, ita tamen ut cessante monasterii necessitate, ipsæ quoque cessent a quæstu. Sac. Congr. 14. April. 1615. & servatis conditionibus pro egressu ibi præscriptis, & a nobis supra relatis c. 7. §. 9. q. 13. quo Lectorem brevitatis gratia remitto.*

*Quar. 4. Utrum Conversæ teneantur ex præcepto recitare orationes, quæ sunt eis per regulam præscriptæ, sicut moniales choristæ horas canonicas.*

*Resp. Non teneri, quia regula, universaliter loquendo, non obligat ad culpam. Neque eadem est ratio de monialibus choro additis, quia*

quia istæ non solum tenentur ex vi Constitutionum recitare horas canonicas, sed etiam ex consuetudine universalis Ecclesiæ, quæ obligat illas sub gravi, ut diximus suo loco. Ita Peregr. ad Conf. sui Ord. p. 2. c. 5. lit. R. Ubi subdit, quod, quamvis Conversæ teneantur de jure Divino preces ad Deum fundere pro benefactoribus, possunt tamen aliis orationibus, & piis operibus satisfacere. Imo suo modo pro benefactoribus orare censentur, dum monialibus orantibus inserviunt. *Bart. ad S. Faust. lib. 6. q. 170.*

*Quar. 5. An monialis professa, & choro addicta possit de Superioris auctoritate ad statum Conversarum transferri.*

*Resp. Contra Navar. in cap. quando de consec. dist. 1. q. 20. n. 20. posse transferri, quia non variatur religionis status, sed illæsus manet. Debet tamen intervenire justa causa, quæ esse possit, vel puniatio gravis delicti, vel ineptitudo ad alia munera. Ita Sotus, Arag. Ledes & Bart. a S. Fausto in suo Theol. lib. 6. q. 178. ubi addit, quod monialis sic translata a divini Officii recitatione fit libera. Quia hæc recitandi obligatio oritur ex consuetudine generali, in quantum est deputata ad chorum; unde eo ipso, quod ex justa causa, & Superioris auctoritate a chori obligatione est liberata, ab obligatione patiter Officii debet censi absoluta.*

*Quar. 6. An e contra monialis Conversa possit transferri ad statum monialium chorisitarum.*

*Resp. Affirmat, licet cum aliqua formidine. Pellizar. de monial. c. 1. n. 13. ob rationem superius adductam, scilicet, quia per talem translationem non variatur status Religionis.*

substantialiter, sed tantum accidentaliter, cum moniales laicæ, seu Conversæ, & moniales vacantes choro adstringantur iisdem votis substantialibus, imo & iisdem obligationibus, excepta obligatione recitandi horas canonicas. Ad hanc tamen translationem tria requiri, advertit Sanchez, *lib. 6 mor. c. 7. n. 81.* videlicet, causa iusta, & gravis; consensus capitularis monialium, & licentia Episcopi, si moniales illi subdantur; Generalis vero, aut Provincialis, si sint exempta. Nullatenus sufficit Superioris localis licentia, quia hæc translatio gravis est, nec censetur Prælati localibus concessa.

Negant alii, posse fieri huiusmodi translationem, inconsulto summo Pontifice. Primo, quia obstat decretum Sacr. Congregat. iussu Clementis VIII. editum 19. Maji 1603. super receptione, & educatione Novitiorum, quod ita habet: *Sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transferre, etiam durante tempore probationis, non possint.* Secundo, quia sicuti sine Pontificis licentia nequit fieri transitus de arctiori ad laxiorem Religionem; ita neque de statu arctiori ad laxiorem intra eandem Religionem. Cum igitur status Conversarum, utpote ad inferiora ministeria deputatus, sit durior, & asperior, & juxta majorem, aut minorem austeritatem pensanda sit major, aut minor perfectio quo ad transitum, ut per Sanch. *loc. cit. n. 21.* non poterit fieri transitus monialis Conversæ ad statum Choristarum. Tertio, principalis pars voti solemnis in Conversis sunt onera tali statui annexa, ita quod ex vi suæ professionis non teneantur obedire Superiori præcipienti aliqua ad statum Cho.

Choristarum tantum spectantia, cum professæ sint obedientiam secundum regulam, & regula ipsas non obliget ad aliquid ultra proprium statum. Sicuti ergo solius Pontificis est dispensare in eo voto solemniter, ita & in hac principali parte.

Omisso nihilominus, an sufficiat solius Prælati licentia, an ulterius requiratur Pontificis dispensatio, censeo cum Lezana *r. 2. 99. regul. cap. 8. n. 22.* translationes huiusmodi non esse indulgendas. Tum ut Conversæ sequantur suam vocationem, qua vocatæ sunt, juxta præscriptum Apostoli *r. ad Corinth. 7.* Tum ut auferatur ansa, vel occasio ambitionis, quæ ut plurimum ad talem translationem desiderandam eas solet impellere. Tum denique ut evitentur offensiones, amulationes, & exprobrationes prioris status, quæ de facili magno cum scandalo possunt oriri. Certum enim est, quod semper ex novitiibus mala excitantur, ac proinde tanquam perniciosas rejiciendas esse, probat aliis adductis Valenz. *cons. 70. n. 26. & seqq.*

Quar. 7. An eveniente causa huiusmodi translationis, debeat Conversa probationis annum repetere.

Resp. Videri quod sic; quia Conversæ non probant in suis novitiibus omnes observantias, quas Choristæ; unde cum transferuntur, debent super his pariter experiri; & ita fuisse declaratum a Sacr. Congreg. 1617. refert Peyrinus *tom. 2. q. 3. cap. 1. §. 5. n. 148.* ubi contrarium sustinet; quia Novitiæ non coguntur probare omnes austeritates, & observantias Religionis; sed sufficit, quod per annum permaneant sub obedientia suo-

num superiorum; additque ita vidisse observatum in praxi, & decretum Sac. Congr. citatum vel non esse authenticum, vel non esse usu receptum.

*Quar. 8.* An Conversæ teneantur sub mortali exercere ea, ad quæ ex officio sunt deputatæ in monasterio.

*Resp.* Peccare mortaliter, si notabiliter sint negligentes; quia in professione fit contractus inter Religionem, & ipsas; per quem contractum religio illis omnia necessaria ad decentem statum promittit, ipsæ vero exhibent se Religioni paratas ad ea munera, ad quæ per professionem sunt deputatæ. Quare ex iustitia tenentur talia munera exhibere, alioquin peccabunt mortaliter contra iustitiam. *Peregrin. loc. cit. lit. Q.* ubi advertit non esse tam faciliter de peccato mortali damnandas, vel quia ad tam gravem obligationem non advertunt, vel quia Superiores tam rigorose non exigunt, vel quia negligentia non est adeo notabilis, vel quia negligentia non est adeo notabilis, ut censenda sit consuetudine lethale peccatum.

*Quar. 9.* An Conversæ possint aliquid exigere a monialibus particularibus pro famulatu ipsi præstito de commissione Abbatisæ.

*Resp.* Negative; quia nequit aliquid exigi, aut recipi pro opere alias debito ex iustitia. *Sotus, Covar. Medin. & Lessius de iust. & jur. lib. 2. c. 14. dub. 9. n. 63.* Illam autem famulatum monialibus tenentur præstare Conversæ ex vi professionis, & contractus initi cum monasterio, ut diximus; adeoque pro ipso nihil possint exigere, aut recipere, nisi forsasse eis detur in quandam liberalem remunerationem servitii præstiti, quia ex una parte, id quod datur ex gratitudine, non datur ut pretium servitii alias debiti; ex alia vero in-

inter Religiosas ejusdem Conventus ex præsumpta voluntate Abbatisæ permittitur aliqua donatio; nam quidquid acquiritur, semper Conventui acquiritur. *Llamas, Fagundez, Peyro-Caramuel, & alii.* Secus vero si aliquid datur ob timorem, quod segniter essent famularum debitum præstaturæ. Quia non censetur *mer. 64.*

dari sponte, sed coacte. *Lessius loc. cit. num.*

*Quar. 16.* An peccent Conversæ negligentia conservationem illarum rerum, quæ sunt earum curæ commissæ.

*Resp.* Peccare; quia tenentur ex iustitia non solum non dissipare, sed etiam conservare res, quæ earum curæ mandantur. Tum quia contra votum paupertatis est, bona monasterii ex negligentia dispergere; nam ut notat *Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 6.* posse rem arbitrato suo destruere, est actus proprius dominii; dominium autem repugnat paupertati.

*Quar. 11.* An excommunicatio lata ob Episcopo contra moniales cum extraneis colloquentes, vel ad januam, aut locutorium accedentes, afficiat Conversas.

*Resp.* Videri, quod non; quia ut asserit *Tuscius lit. M. v. Moniales, conclus. 333.* Conversæ non sunt vere moniales, quamvis Professionem emittant; differunt enim in multis, nempe nomine, exercitio, & in aliquibus locis non servant rigorose clausuram, non habent vocem, non tenentur ad divinas preces, & multas differentias congerit *Fridericus de Senis conf. 213.* *Afflict. Franc. Abb. quos refert & sequitur Marcus Viraldi. in Arca Theolog. Mor. de Monialib.*

*Inquisit. 2. n. 91.* Sed oppositum omnino sustinendum. Quia secundum formalem significationem nomine monialium veniunt etiam Conversæ, can. ut lex 27. q. 1. c. non dubiam de sent. excomm. Emittunt enim tria Religio- nis vota, quæ essentiam Religiosi status constituunt. Neque differentia adducta extrahunt illas a formali statu monialium; quia sunt religioso statui extrinsecæ, & accidentales, atque adeo non mutant naturam rei. Abb. *conf. 62. in controversia num. 8. in fin. & num. 9. ver. de jure commun. lib. 2. & n. 10.* Januarius, & Diana in opere coord. t. 5. tract. 1. ref. 88. n. 2.

*Quar. 12.* An liceat Conversis per notabile tempus in die festo conficere, & coquere bellaria.

*Resp.* Videri quod non; opus nanque servile est, & proprie pertinens ad servos, consequenter opus prohibitum. Oppositum nihilominus sustinendum. Sicut enim ex communi Doctorum sententia cum D. Th. 2. 2. q. 12. a. 4. ad 4. licitum est in die festo parare fercula quamvis superflua, & ad oblectationem tantum inservientia, quia urget ratio aliqua necessitatis, & congruitatis, fundata in hoc, quod hujusmodi fercula non ita suavia sunt, si altera die sint præparata; ita licebit conficere, & coquere bellaria, cum neque illa ita congruenter se habeant, si sint anticipare præparata. Imo stante consuetudine conficiendi dicta bellaria in die festo, ex tacito saltem Superiorum consensu, resultat probabilis conjectura, quod non fuerit mens Ecclesiæ, sub præcepto abstinendi a servilibus tam ordinariis actionibus comprehendere. Tam- bur. in decal. lib. 4. c. 3. §. 2. n. 10.

Et

Et hoc locum habere etiam, si bellaria vendantur extraneis, putant Sylvest. Angel. Rosel. Nald. & Sanch. 2. 2. *conf. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 11.* Quia lucrum non immutat operationem, ut cum aliis notat Suar. tom 1. de relig. lib. 2. cap. 25. arque adeo non facit, ut de licita fiat illicita. Ego tamen cenfeo, ex alio saltem capite non licere, scilicet, quia generaliter monialibus vetitum est parare, aut vendere cibos extraneis, exceptis rebus minimi momenti pro infirmis, ac consanguineis. Sac. Congregat. teste Barbosa lib. 1. jur. eccles. capit. 44. num. 58.

*Quar. 13.* An liceat Conversis in die festo legumina minoribus purgamentis secernere, & diligenter emundare.

*Resp.* Affirmative. Quia hoc quoque pertinet ad ciborum usum, quos parare licet in festo, per Doctores supra citatos. Tum etiam quia modicissimæ applicationis est hujusmodi occupatio, unde recreationis causa ab honestis etiam foeminis excipi solet. Non licebit vero, nisi aliqua gravis necessitas urgeat, farinam a sursure subcuniculo segregare, quia magnam exigit occupationem. Solum excusabit a mortali materie parvitas, quam extendunt ad tres quadrantes horæ Bonac. Reginald. Joan. a Cruce, & alii; ad horam integram Azor. Suar. Sanch. Fagund. & Palaus; ad duas integras horas Granad. Filiuc. Enriq. & Diana; ad tres etiam horas ampliant Marchant. & Pasqualig. Quia octava pars respectu totius diei censetur exigua pars. Ego tamen a secunda sententia non recedo.

Quar.



*Quar. 14.* An Conversæ coquinæ deservientes, & parantes cibos pro numerosa familia sint immunes a jejunio.

*Resp.* Affirmative; quia in tali præparatione tractant cacabos, & ollas magnas, deferrunt ligna, hauriunt aquam, huc, illucque discurrunt, ex quibus omnibus resultat labor valde notabilis; & licet pauca sint fercula, quantitas nihilominus cujuscunque ferculi parandi pluribus ferculis æquivaleret. Quod si non laborant tota die, cum non habeant parare cœnam, tamen post prandium habent parare plura pro die sequenti; & deinde sufficit, quod exercitium parandi prandium requirat magnum laborem: nam debent pro ipso conservare vires. Ita Pasqualigus *de jejun. dec. 297. n. 4.* Ubi advertit, hoc quoque probabiliter procedere etiam, quando jejunia sunt de præcepto regulæ, quia regulæ, quamvis voluntarie suscepta, non obligat plusquam obliget lex, & ideo ipsa pariter definit obligare, quando proportionaliter legis definit obligatio.

*Quar. 15.* An Conversæ lavantes suppellectilem lineam, vulgo, *far la bocata*, excusentur a jejunio.

*Resp.* Excusari: quia hujusmodi exercitium sive consideretur in præparatione eorum, quæ necessaria sunt pro lavatione, sive in actu ipso lavandi, sive in asportatione suppellectilis lineæ, ut Soli expandatur, & postea colligatur, inter laboriosa est reponendum. Et quidem labor ipsius excedit laborem nonnullarum artium, quas communiter Doctores admittunt inter excusantes.

Neque necesse est, ut exercitium hoc sit continuum, sed sufficit, quod durer una, aut

aut altera die, ad hoc ut cesset pro illis diebus obligatio jejunandi; quia, sicuti obligatio est annexa diei, ita quando eadem dies habet aliquid impossibile cum jejunio, excludit obligationem ad ipsum. Imo hoc pariter verum est, etiam si in hoc exercitio non insumatur tota dies, sed tantum bona pars ipsius: nam cum sit exercitium laboriosum, requirit vires integras, & floridas, quod non contingit, quando vires macerantur per jejunium. Ita Pasq. *loc. cit. dec. 304.* Ubi etiam excusat complicantes suppellectilem lineam jam mundatam; quod an verum sit, judicent alii, ego enim in hoc non video laborem sufficientem ad excusandum.

*Quar. 16.* An Conversæ inservientes mensæ frangant jejunium; si aliquid comedant immediate antequam inserviant.

*Resp.* Non frangere, etiam si non indigeant ad vitandam debilitatem. Ita viginti Doctores, quos refert, & sequitur Pasqual. *loc. cit. dec. 128.* ubi addit, comestionem illam posse esse in ea majori quantitate, quæ libuerit, ita ut, etiam si sit sufficiens ad constituendum prandium, non per hoc impediatur, quin possint rursus, completo servitio, comedere. Ratio horum omnium est; quia prior illa comestio est moraliter eadem cum subsequenti; nam servitium illud, quod mediat, cum sit pars illius prandii, non interrumpit moraliter prandium, atque adeo comestio subsequens censetur complere priorem, & constituere unicum prandium cum ipsa. Neque requiritur intentio anticipandi prandium, sed sufficit, quod opere ipso inchoetur. Imo etiam si proposuerint non comedere amplius post servitium possunt mutare propositum, & rursum

sum comedere, quia durat id, per quod moraliter continuari potest subsequens comestio cum præcedenti.

## §. XII.

## De Tertiariarum obligationibus, &amp; Privilegiis.

Quar. 1. **Q**uam mulieres veniant nomine Tertiariarum.

Resp. Prout ad præsens nostram institutum facit, venire mulieres illas, quæ vota essentialia non emittentes regulam alicujus Religionis approbatæ servant in propriis domibus, & quandoque etiam in communi aliqua domo habitantes, ejusdemque Religionis habitum deferentes, quarum aliquæ juxta proprium profitendi modum a Summis Pontificibus approbaturum emittunt votum simplex castitatis, vel obedientiæ; aliæ nullum nisi forsan obedientiæ, Casarrub. in Compend. privileg. mend. v. Tertiarii n. 25. Non sunt vere Religosæ, nec illarum vivendi modus appellari potest Religio, quia tribus votis essentialibus non ligantur. Casarrub. Rodrig. Lezana t. 2. 99. reg. c. 15. n. 7. Atque adeo dici non possunt Apostatæ, si ab eo statu recedant, matrimonio se copulantes, aut habitum deferentes. Peccabunt tamen in dimissione habitus, si illum per totam vitam voverunt gestare.

Quar. 2. A quibus sint admittendæ ad habitum, & professionem.

Resp. Admittendas esse ad habitum a Superioribus Regularibus ad id privilegium habentibus; quales sunt Minores S. Francisci, Dominicani, Augustiniani, Carmelita-

litani, Servitæ, & Minimi. Lezana loc. c. n. 8. & 999. Debet tamen intervenire Ordinarii loci licentia, qui non aliter eam concedet, quam si ei de qualitatibus ad id requisitis diligenti prævio examine confiterit. Sac. Congr. 20. Dec. 1616. Non per hoc explorare debet earum voluntates, si domi degunt, & ibi coelibatus votum emittunt, ut ex Sac. Congr. refert Barb. in Collect. Bullar. v. Tertiaria. In manibus quoque alicujus Superioris eorum Ordinum, vel habentis a Superiore aliquo auctoritatem emitti debet professio, quam præcedere debet aliquod tempus probationis; cum enim facultas recipiendi Tertiarias Prælati Regularibus concessa intelligi debeat de personis idoneis, & pro talibus habitis, ad judicandum de illarum idoneitate, tempus aliquod est necessarium. Lezana l. cit. n. 22.

Quar. 3. Quam qualitates in admittendis ad habitum requirantur.

Resp. Inter qualitates requisitas computandas esse illas, quas Sac. Congregatio Episc. & Regular. 20. Decembris 1616. observari præcepit. Prima, quod non recipiantur ad habitum, nisi spectata vita fuerint, id est bonis moribus, seu virtutibus ornata. Secunda, quod habeant de proprio, ut inde sufficienter vivere possint. Tertia, quod sint annorum saltem 40. Quarta quod non habitent cum aliis viris quam cum consanguineis, vel affinis in primo tantum gradu. Quinta, quod non recipiantur, ut diximus supra, nisi ab Ordinario loci licentiâ prius impetrata. Sexta quod in habitu deferendo omnino abstineant a velo supra caput, quod superlutum vocant, & a pettorali vulgo sottogola, & patientia. Nulloque modo tolerari debet, quod, licet domi

Confess. Monial.      ha-

habitates, comam nutriant, cum habitus indecentia, & scandalo populi. Sac. Congreg. in Hydruntina 5. Augusti 1625.

Quar. 4. An defectus huiusmodi qualitatū irritet receptionem, sed professionem prædicatorum mulierum.

Resp. Videri quod non; quia in decreto non apponitur clausula irritatoria, neque Sac. Congr. utitur verbo *non possint*, aut simili, sed solum *non admittantur*; bene vero peccare mortaliter decreti huiusmodi transgressores. Lezana *loc. cit. n. 40.* Hæc tamen doctrina non est absolute admittenda, saltem quando deficeret Ordinarii loci licentia. Cum enim Sac. Congr. utatur ablativo absoluto, ab Ordinario loci licentia prius impetrata, inducit conditionem, ut notant communiter Doctores, & proinde etiam formam. Bald. Surd. relati a Pasqual. in Laur. n. 31. unde si non impleatur, admissio erit nulla.

Quar. 5. Quibus Prælati Tertiariæ subiciantur.

Resp. Si loquamur de Tertiariis vitam cœlibatam, virginalem, & castam non ducentibus ex voto, subijci Ordinario ex declaratione Sac. Congr. apud Gavant. quem refert Lezana *loc. cit. n. 35.* qui n. 41. addit subijci pariter gubernationi Superiorum Ordinum, quarum sunt Tertiariæ, quoad curam spirituale tantum; cum enim sint aliquo modo membra religionum, quarum deferunt habitum, specialem diligentiam de salute illarum spirituali tenentur habere. Casarrub. & Miranda apud d. Lezanam. Illas tamen punire non possunt, nec illæ peccant non obediendo.

Si vero sermo sit de Tertiariis vitam cœlibatam virginalem, & castam ducentibus ex

VO-

voto, quia per declarationem Leonis X. die 1. Martii 1518. & decretum Sac. Congr. ab Ordinarii jurisdictione sunt exemptæ, consequens est, ut Prælati suorum Ordinum plene subiciantur, ne dicamus eas sub nullius jurisdictione esse; atque ita possunt illas sicut alios religiosos corrigere, & punire. Hinc Theodorus Stratus plura deducit, scilicet, Tertiarias huiusmodi casibus Episcopo reservatis non subjacere; posse tamen Prælatos, quibus subsunt, quoad illas, sicut quoad suos fratres, casus aliquos reservare, atque, saltem in foro conscientiæ, ab omnibus criminibus, & excessibus, ac etiam censuris, & pœnis Sedi Apostolicæ reservatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ) absolvere; nec non earum vota commutare, & cum illis in omnibus votis simplicibus, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis, dispensare, quia hoc spectat ad potestatem jurisdictionis; & illi habent jurisdictionem quasi Episcopalem. Hæc tamen de mente Stratii sint dicta.

Quar. 6. Qualiter peccent Tertiariæ suam professionem transgredientes.

Resp. Delinquentes contra vota emissa peccare peccato sacrilegii, non est dubitandum. Transgredientes vero ea, quæ in professione promittunt, nullum peccatum committere, etiam si obligatio regulæ respectu religiosorum aliquam culpam saltem venialem inducat, tradit Lezana *loc. cit. n. 19.* Quia etsi in professione utantur verbo *promitto*, nulla per hoc inducitur obligatio, praxi ita interpretante intentionem Pontificum talem modum vivendi approbantium, & Prælatorum Ordinum professionem huiusmodi suscipientium. Obligantur tamen ex Summorum Pontificum declara-

X. 2

tio.

484 *De Tertiari. oblig. & Privil.*  
tionibus apud Lezan. *loc. cit.* ad subeundam  
pœnam, sibi ob transgressiones regulæ a Su-  
perioribus suorum Ordinum iustificandam.

*Quar. 7.* Quibus gaudeant privilegiis.

*Resp.* Gaudere suorum Ordinum privilegiis;  
quorum ipsæ sunt capaces, ex indultis Summo-  
rum Pontificum, apud Lezan. *loc. c. n. 11. & 26.*  
præcipue ex decreto Congr. tenoris sequentis:  
*Sacra Congregatio censuit &c. huiusmodi mu-  
lieres, si vitam virginalem, aut cœlibem sim-  
pliciter expresse voverint, etiam in consanguini-  
corum, & affinium suorum, aut propriis domi-  
nibus, vel seorsim habitantes, privilegiis Ordinis,  
cujus Regula habitum deserunt, exemptioneque  
ab Ordinarii jurisdictione frui debere. Unde  
gaudere privilegio fori affirmant Sylvester,  
Alterius, Duardus, & Pignat. & ita declara-  
vit Sac. Congr. Immun. in Assisen. 16. Novem.  
1655. & canonis. Grât. Casarub, Portel, &  
Lezana, præsertim, quia hoc non tam est  
privilegium, quam jus commune competens  
cunctis personis Deo dicatis; ac etiam exem-  
ptione a gabellis, eadem Sac. Cong. in Tu-  
dertina 5. Augusti 1627. Nec non indulgentiis  
concessis Ordini, cujus sunt Tertiariæ, ut  
constat ex concessione bullata Sixti IV. rela-  
ta a Lezana *loc. cit. n. 26.* Quæ omnia intel-  
ligenda sunt concurrentibus qualitatibus juxta  
declarationem Sac. Congr. Concilii requisitis,  
nempe si habitum assumpserint, & virginal-  
em, seu cœlibem, aut castam vidualem ex-  
presso voto vitam elegerint. An autem præ-  
dictæ qualitates in huiusmodi Tertiariis con-  
currant, Ordinarii iudicium spectetur. Sac.  
Congr. Episc. 2. Nîob. 1616.*

*Quæ. 8.* A quibus recipere debeant Sacramenta.

*Resp.*

*Resp.* Licet Tertiariæ virginalem, cœlibem,  
aut castam vidualem vitam ex voto ducent-  
es possint quoad Sacramentorum receptio-  
nem uti privilegiis suorum Ordinum, Lezana  
*loc. c. n. 34.* Si tamen Ordinarii, vel Parochi  
jus illis administrandi Sacramenta etiam tem-  
pore Paschatis, vel alias in eis jurisdictionem  
acquisiverint, non posse ipsas de cætero  
adversus Ordinarios, vel Parochos exemptione  
uti, sed observandam esse consuetudinem,  
censuit Sac. Congr. apud Pignat. *z. 4. conf. 119.*  
Sicut etiam foemina prædictam vitam non  
gerentes Eucharistiam in die Paschatis, extre-  
mam unctionem, & alia ecclesiastica Sa-  
cramenta (Sacramento poenitentiae duntaxat  
excepto) a proprio Sacerdote suscipere tenentur,  
ira enim decernitur in prædicta Bul-  
la Leonis X. & Concilio Lateranensi.

*Quar. 9.* Quo in loco sint sepeliendæ.

*Resp.* Tertiariæ, sepulturam, ubi voluerint,  
eligere valent, ut habetur in Bulla Leonis X.  
& Concilio Lateranensi. Quod si de illis  
sint, quæ nec virginalem, cœlibem, aut ca-  
stam vidualem vitam ducant ex voto, & non  
electa sepultura decedant, in earum parochiis  
sunt sepeliendæ Parocho interveniente, qui  
pariter intervenire debet, etiam quando in  
Regularium Ecclesiis tradendæ sunt sepultura,  
si, eum vixerint, in ipsis elegerint tu-  
mulari. Barbosa in *Collectan. v. Tertiaria.* E  
contra si de illis sint, quæ virginalem, cœ-  
libem, aut castam vidualem vitam traducant,  
possunt in Ecclesiis suorum Ordinum sepeli-  
ti a solis Regularibus, Parocho minime re-  
quisito, imo contradicente. Sac. Congre-  
gat. Episcop. in *Nepesina 11. Decembr. 1615.*

486 *De Tertiari. oblig. & Priv. C. 11. §. 12.*  
apud Sell. in *select. canon. c. 35. n. 20.* & Sac.  
Congr. Rit. in *Spolecana Terra Viso 20. Junii*  
1609. apud Barb. in *Collectam. v. Regulares*  
*quoad sepulturam.* Etiam si sine sepulturæ ele-  
ctione decesserint, quando tamen in dictis  
Ecclesiis communis sepultura pro ipsis repe-  
ritur. Sac. Congr. anno 1616. Ita ut si com-  
munis sepultura in Ecclesiis ordinum, quo-  
rum sunt Tertiariæ, non reperiatur, sepeliri  
debeant in Parochiis; quando contingit, eas  
sine sepulturæ electione decedere, ut habetur  
in eodem decreto.

*Quer. 10.* An Tertiariæ consequi possint  
legatum factum pro monachata.

*Resp.* Posse, dummodo habeant qualitates,  
ut supra in decreto Sac. Congr. requisitas,  
Ira Diana in *opere coord. tom. 9. tract. 2. ref. 175.*  
alios citans, & ratio desumitur tum ex §.  
*sed hoc presenti, Auth. de Sanct. Episc. coll. 9.*  
tum ex eo, quod istæ sunt de ordine, ac  
modo vivendi approbato a Summis Pontifi-  
cibus in *Clem. 1. juncta Glossa de relig. Do-*  
*mib. & promittunt obedientiam, ut inquit*  
*Glossa in d. Clem. v. obedientiam,* unde istæ  
sunt in aliquo sensu non improprio religio-  
sæ. Hæc omnia juxta brevitatis nostræ insti-  
tutum hucusque tradita S. R. Ecclesiæ cen-  
suræ omnino volo esse subjecta.

E I N I S.

IN.

487  
I N D E X

RERUM NOTABILIUM.

*Prior numerus indicat caput, secundus para-*  
*graphum, tertius quæstum.*

A

**A**bbatissa tenetur sub mortali tollere trans-  
gressiones regulæ, cap. 11. §. 1. q. 1. Potest  
aliquando moniales errantes conviciis in-  
crepare, ib. q. 2. Non est capax potestatis  
spiritualis, ib. q. 3. Unde non potest bene-  
dicere in loco publico neque aquam, ne-  
que vestes, ib. Nec docere in Ecclesia,  
aut concionari, neque ex Summi Pontificis  
dispensatione, ib. Potest solum habere hor-  
ratorios sermones, ita tamen ut non utatur  
testimoniis sacrae Scripturæ, ib. Non potest  
dispensare moniales auctoritative, bene ta-  
men ministerialiter, ib. q. 4. Non potest dis-  
pensare circa monialium subditarum vota;  
sed tantum irritare, ib. q. 5. Etiam si sint  
emissa cum ipsius consensu, ib. q. 6. Novi-  
tiarum vota irritare non potest, ibid. q. 7.  
Quomodo possit beneficia instituere, & Ca-  
pellanias conferre, ib. q. 8. An habeat jus  
suspendendi Clericos suæ jurisdictionis, ib.  
q. 9. An habeat liberam administrationem  
bonorum sui monasterii, ib. q. 11. An te-  
neatur de superfluis monasterii elemosynas  
erogare, ib. q. 23. Potest applicare bona  
opera monialium extraneis, ib. q. 24. Tenetur  
transgressiones occultas inquirere, ut corri-  
gat, ib. q. 25. An possit, & quomodo præci-

X 4 pere